MONUMENTA GERMANIAE.

Apostolico confitetur, paneque celesti accepto per eum, viam universe carnis ingreditur. Et Conradus Saltzburgensis episcopus, qui jam per XX annos pene dejectus, denuo inthronisatur.

Anno Domini M°CLXXXIIII°. Lodewicus lantgravius Thuringie, egre ferens Ottonem Marchionem Misnensem, predia pecuniis infra terminos provincie sue comparantem, et se nimis ignominiose coarctantem, cum electa militum copia, fines suos audacter ingreditur, perturbatisque suis, ipsum captivat, et in castro Warpergk custodie mancipat. Principes igitur Saxonie proinde ira commoti imperatorem adeunt, pacem turbatam per lantgravium, qui regni principem capiat, conquerendo asserunt, quos imperator blando affatu demulcens lantgravio demandat, ut assumpto secum Marchione ad curiam suam Fulde celebrandam veniat; quo dum perventum est, Marchionem captivitate absolvit, et tam eum quam omnes Saxonie principes cum lantgravio in amicitiam confederavit. Eodem anno imperator curiam suam Maguntie in festo Pentecostes celebravit, presentibus universis Teutonicis principibus regni, a quibus, eo mediante, unus filiorum ejus, Heinricus nomine, in regem electus, coronatur. Conradus vero alter filius ejus dux

a) sequ. quod c

b) capt c

|| f. 113'

(richtig) [illegible]

(richtig) [illegible]